Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

gnitis non eius alonge et mulieres que secute erant eum a galilea hec videntes. Et ecce vnius nomine ioseph qui erat decurio vir bonus et iustus hic non consenserat consilio et actibus eorum. ab arimathia ciuitate iudee qui et ipse expectabat regnum dei. Hic accessit ad pylatum: et petijt corpus ihesu. Et depositum inuoluit syndone. et posuit eum in monumento exciso in quo nondum quisquam positus fuerat. Off. Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat. Secreta. Suscipe quesumus domine munus oblatum et dignanter operare ut quod passionis filij tui domini misterio gerimus piis effectibus consequamur. Per. Com. Potum meum cum fletu temperabam quia eleuans allisisti me et ego sicut fenum arui tu autem domine in eternum permanes tu exsurgens misereberis syon quia venit tempus miserendi eius. Compl. Largire sensibus nostris omnipotens pater ut per temporalem filij tui mortem quam mysteria veneranda testantur vitam nobis dedisse perpetuam confidimus. Per. Super populum. Respice quesumus domine super hanc familiam tuam pro qua dominus

noster ihesus christus non dubitauit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Per eundem.

Feria quinta videlicet in cena domini post nonam preparet se sacerdos cum ministris dyacono et subdyacono et pueris qui ferant lumina 4 thuribulum et induantur sollempnibus vestibus. Et postquam sint parati cantores incipiant introitum.

Nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri ihesu christi in quo est salus vita et resurrectio nostra per quam saluati et liberati sumus. Deus misereatur nostri et benedicat. Ps. nobis illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. Gloria patri. Kyrieleyson. de apostolis. Gloria in excelsis. Secundum alios. Gloria patri. et Gloria in excelsis. tenetur nisi ubi crisma consecratur. Illos autem sequentes beletum utrumque dicimus qui dicit quod hec dies tam sollemnis est quod omnia cantica leticie debent dici preter Alleluia. Signa campanarum ad missam festiue consonent pula tantum. Oratio.

Deus a quo et iudas reatus sui penam et confessionis sue latro premium sumpsit concede nobis tue propiciationis effectum ut sicut in passione sua christus ihesus dominus